

R. P. D.

BUSSIO

Cracovien. Decimarum.

Lunæ 21. Aprilis 1749.

1 DECIMAM ex agris in Villa *Podolsze* à PP.Ordinis Prædicatorum Cracoviæ possessis, Parocho Zathoriensi solvendam esse negavit Sententia A. C., & consentanea Sacri Nostri Auditorii *Decisio coram me edita die* 10. *Junii superioris anni*, cujus fundamenta in restaurata hodie colluctatione confirmari meruerunt per Rescriptum = *In Decisis*.

2 Iterum enim constitit, PP. Dominicanos, à tempore, cujus initii memoria non extat, Canonicam de controversis bonis portionem per-

persolvisse Scholastico Ecclesiæ Cathedralis Cracovien. ; nec quidquam Parocho Zithoriensi præter quasdam mensuras Siliginis, & Avenæ in eam causam respondere consuevisse : propterea que si ita unicuique jus est, ut Decimam ab immemorabili certo modo solutam diversimodè pensitare non adigatur, *Rota in Ariminen. Decimarum 16. Junii 1747. §.5. coram R. P. D. Meo Caprara*; Id fortius admittendum est, ubi, prout in casu, agitur de bonis Regni Poloniæ à Laicis in Regulares obventis; Isti quippè nil ultrà præstare debent quàm quòd à Laicis præstitum esse constiterit, juxtà generale Decretum Sac. Congregationis Concilii anno 1645. pro dirimendis in eodem Regno Decimarum quæstionibus editum, quod, utpotè confirmatum etiam à san. mem. Innocentio X., est religiosè servandum, *Rota in Cracovien. Decimarum super bono Jure 26. Junii 1747. §. 3. coram R.P.D. Meo Clemente, & observat præterita Decisio* § 4.

3 De immemorabili autem consuetudine PP. Dominicanis favente vix est, ut hæsitari queat è conspectu antiquissimi Libri nuncupati Beneficiorum, scripti sub annum 1440., in quo Scolasticus Cracovien., non Parochus Zathoriensis in Decimatorem adnotatur, cui consonant plures Visitationes, ubi inter Parochiales redditus ad scrupulum numeratos, controversæ cęteroquin non omittendæ, Decimæ nullatenus recensentur: Confluunt insuper Testes formiter examinati, qui, solutionem favore Scholastici admittentes, eamdem respectu ad Parocum unisonè excludunt, & deniquè gravissimum est, quòd nullus hucusque Testis, nec minimus afferri actus valuerit, undè controversam solutionem factam unquam fuisse arguatur; adeoùt inane sit eas sibi asserere Decimas, quarum competentiam Actor non probat, quasque Rei è conversò indebitas uberrimè evincunt, ut sparsim perpendendo adductas rationes firmat *Rota in Hispalen. Census Perpetui, & Decimarum 23. Aprilis 1736. §. fin. coram Eminentissimo Crescentio, & 30. Januarii 1739. §.22. coram Reverendissimo P.D. meo de Vais Decano, & in Sabinen. Decimarum 6. Martii 1747. §.5. & seqq. coram Eminentissimo D. Card. Millino*.

4 Et hinc inutile diffugium quæritur à Juris dispositione ita quoad Decimas Parochi intentionem fulciente, ut nulla ei ad exigendum probatione opus sit, sed totum refundatur in Posessores onus excludendæ legitimæ obligationis, quæ cæteroquin in casu non satis exclusa prætenditur per Testes non attingentes ætatem requisitam *à Glossa in cap. 1. de præscript. in 6.*, & per alia recensita Documenta, quæ in negativa ut plurimum probatione versantur. Ultrà quod enim stante allegata resolutione anni 1645. oporteret fortasse Parochum docere de solutione à Laicis facta, ut innuit *Rota decis.303. num.6., & seq. part.11. Rec.*: Ulterius favore PP. Dominicanorum adsunt tres longęvi Testes de Immemorabili aptissimè deponentes in subjecta materia omninò attendendi, *Rota in Rossanen. Decimarum 26. Junii §. Quod autem, & 2. Decembris §. Firmato 1739. coram Me*: adsunt antiqua Monumen-

ta

ta ab ipsomet Paroco Zathoriensi producta idcircò non impugnanda, *Rota in Adiacen. Decimarum* 21. *Martii* 1746. §. 9. *coram R.P.D. meo Viccecomite*, & omnia demum documenta adeò mutuam sibi dicunt relationem, ut incivile sit ea singillatim carpere, ne in cumulum, ut par est, considerata plenissimam constituant probationem, contrà monitum *Rot. in S. Severinæ Decimarum* 12 *Ianuarii* 1748. §. 9., & 14. *Iunii ejusdem anni* §.10. *coram Me*.

5 Cæterùm nil est cur de immemorabili rigidius inquiratur, quia PP. Dominicani non agunt, ut bona sua à Decimis eximantur, sed quemadmodum eas alteri quàm Parocho, nempè Scholastico Cracoviensi respondent, ità ritè, rectèque negant duplicato solutionis onere subesse: hinc Parochus frustrà juris dispositionem, sibi veluti favorabilem allegat, quin potius contrà eam apertissimè admittitur, cum Sacrorum Canonum censura non tam Decimam rependi jubeat, quàm ab iterata illius abhorreat exactione, *per Text. in cap.* 2. *de decim.*, *Rot. decis.*776. *num.*12. *coram Lancetta*, & *in Leopolien. Decimarum* 28 *Februarii* 1746. §*fin. coram R.P.D. meo de Canilliac* cum aliis *in præterita Decis.* §.2.

6 Quin Decima Scolastico Cracoviensi debita referri valeat ad unam tantùm speciem agrorum nuncupatorum *Cmetonalium*, quos sibi serunt Coloni: quasi quod Sarctum tectum sit jus Parochi super cæteris agris, qui pro Dominis coluntur, & nuncupantur *Prædiales*. Hujusmodi siquidem distinctio pro effectu, de quo agimus, levissimum habet fundamentum in Testibus, pendente hac lite, expiscatis, aliisque enunciativis in nupera Visitatione, recentique Decreto emissis, ut fraus fortasse fieret præsenti judicio, ideoque nil relevantibus ex *Text. in cap. in omni de Test.*, *Rot. in Monasterien. Vicariæ* 20. *Iunii* 1721. §. *Talem coram bon. mem. Cerro*, & *in Adiacen. Decimarum* 21. *Martii* 1746. *coram R. P. D. meo Vicecomite*. Fortius quia tribus jam editis coram A.C. Sententiis plura in oppositis documentis falsa irrepsisse compertum est, unde quoad reliqua etiam eorum fides imminuitur, *ex Text. in leg.* 4. *Cod. de Test. Rota in Cracovien. Decimarum super bono Iure* 26. *Iunii* 1747. §. 5. *coram R. P. D. meo Clemente*: Et demum contrà stant validiores probationes à PP. Dominicanis deductæ, cum quibus novissimæ à Parocho expiscatæ in hoc dumtaxat conveniunt, quòd controversæ Decimæ nunquam re ipsa fuerint persolutæ, adeout earum competentiam non tam evincere, quàm firmius excludere videantur, ut arguit *Rota in Trevirren. Decimarum* 17. *Aprilis* 1747. §. 4., & 5. *coram Rmo P. D. meo de Vais Decano*.

7 Verùm etsi etiam donari vellet Parocho jus esse Decimam à *Prædialibus* Agris exigere, in eam sanè causam referre oporteret mensuras, seù *Coretos* 18. siliginis, totidemque Avenæ, quos ei quot annis præstant PP. Dominicani, neque uberior quantitas prætendi posset, sive ex quo reductio Decimæ ad exiguam hujusmodi præstationem ex immemorabili non probetur, sivè ex quo *Co-*

reti

reti 18. siliginis, & Avenæ, non pro Decima, sed pro antiqua unius duntaxat agri oppignoratione debeantur. Etenim immemorabilis, quæ in casu, ex supra firmatis, non deest, necessaria cæteroquin nec esset, cum non agatur de canonica portione integrè præscribenda, sed de ea certo modo, ac in certa quantitate tradenda, ad quem effectum quadragenaria, vel minor observantia sufficeret, *Monet. de Decim. cap.5. quæst.11. num.101.*, *Rota in Leopolien. Decimarum 28. Februarii 1746. §. 9. coram R.P.D. meo de Caniliiac.*, *& in Gnesnen., seù Posnanien. Decimarum 22. Ianuarii 1748. § 6. coram R. P. D. meo Vicecomite.* Titulus verò assertæ oppignorationis repugnat antiquis documentis, nullaque legitimà probatione fulcitur, cum Testes adducti post hanc intraductam litem informes in id depositiones ediderint, ut observat *præterita Decisio §. fin.*, ad quam DD. plenissimam habere relationem professi sunt.

Et ita &c utraque &c.

ROMÆ, MDCCXLIX.
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Superiorum permissu.

Druki wszystkie dotyczące dziejów różnych województw polskich

20.000